

## No. 95. 1337. 23. Jan.

*Burggraf Albert der ältere von Leisnig cignet drei Joch Wald neben dem Apetzholze.*

In nomine domini amen. Cum secundum beatum Augustinum elemosina quae benigno corde tribuitur valet in remissionem peccatorum, hinc est quod nos Albertus dei gratia senior burgravius de Lyzzenie universis Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis cupimus fore notum, quod ob reverentiam dei et gloriosae virginis matris suae Mariae nec non beati Thomae apostoli atque sancti Augustini episcopi canonicis regularibus in Lypzk tria iugera lignorum sita iuxta ligna, quae vulgariter nuncupantur Herin Apez holcz<sup>a)</sup>, benigno ac devoto corde obtulimus et praesentibus offerimus atque donavimus perpetue possidenda. Testes huius rei sunt dominus Theodericus decanus in Wrzcin, dominus Hermannus de Lymphac cum suis filiis Strenfil, Wolmannus, dominus Johannes de Dronicz et alii quam plures fide digni. In huius rei evidentiam duximus praesentem nostri sigilli munimine roborandam. Acta et facta est haec oblatio anno domini M°.CCC°.XXX°.VII°. sequenti die proxima post diem beati Vincentii martiris.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem beschädigten Siegel des Burggrafen an einem Pergamentstreifen.

a) In Connewitzer Flur.

## No. 96. 1337. 24. Apr.

*Probst Nicolaus und der Convent verkaufen die jüngst in Starsiedel erworbene Hufe Landes (No. 93) an den Domdechant Engelbert zu Mersburg.*

In nomine domini amen. Nos Nicolaus dei gratia praepositus, .. prior totusque conventus canonicorum regularium ecclesiae sancti Thomae apostoli in Lipzk tenore praesentium recognoscimus et ad omnium tam praesentium quam futurorum memoriam cupimus pervenire, quod interveniente iusto emptionis et venditionis titulo honorabili viro domino Engelberto decano ecclesiae Mersburgensis unum mansum situm in campis villae Starezedel cum una curia et aliis omnibus suis pertinentiis, quae quondam fuerunt Johannis Wolueshayn, cum omni proprietate et iure, quemadmodum venerabilis in Christo pater ac dominus dominus Gebehardus episcopus totumque capitulum ecclesiae Mersburgensis iam dictae nobis et nostrae ecclesiae donavit, vendidimus pro tanta pecunia quanta nos emimus, quam pecuniam iam nobis integre persolvit. De quo quidem manso et curia cum suis pertinentiis ac ipsorum proprietate ipse faciet et ordinabit vel saltem sui testatores, quicquid et ubicunque sibi melius et suae animae salubrius videbitur expedire, renunciantes exnunc possessioni proprietati ac omni iuri, quae in praedictis bonis hactenus habuimus vel saltem habere possemus in futurum. Ne autem huiusmodi factum aliquorum malitia inposterum valeat violari, nos sibi praesentem literam super eo dedimus sigillorum nostri et nostri conventus munimine roboratam. Actum et datum Lipzk anno domini